

## Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 68

Quicumque de rebus ecclesie aliquid in usus proprios juste acquirere voluerit, oportet ut auctoritate scripture illud confirmet, quatinus inconvulsum permaneat. Itaque ego in Dei nomine Euerardus, cupiens de terra ecclesie questum aliquem habere et de mea iterum ecclesie Dei pro remedio anime mee aliquid dare, adii celsitudinem ducis nostri Cuonradi qui tunc temporis abbatiam Stabulensem jussu domni regis Ottonis regebat, deprecans quod concederet michi de terra sancti Petri et sancti Remacli que de beneficio erat quandam precariam facere in monasterio Stabulaus, cum consensu abbatis Odilonis qui illi monasterio preesse dinoscitur et consensu Erenfridi advocati. Quam petitionem libenter dux audiens tradidit ex parte regis predicto abbati ipsam terram quam postulabam, ut legaliter firmiterque ad idem monasterium precariam valerem facere; ea scilicet ratione, ut postea ad usus monachorum cum amplificatione de qua antea nichil habuerant reverti deberet. Tradidi igitur coram multis testibus ad supradictum monasterium de terra mea propria in villa Restania mansos VI cum oblationibus que exeunt omni anno de ecclesia, molendinum, silvam, cum familia XXV quorum hec sunt nomina : Wilhedus, Gerhaida, Framiricus, Teutgerus, Raifredus cum femina et filio, Amulricus, Osanna, Germundus cum fratre suo, Angelhardus, Constantius, Heinricus cum femina, Walendis et filia, Doda, Engelrada, Geroldus, Ermenuerus cum matre sua et nepote suo et sorore sua, Walcaudus; eo tenore, ut post obitum suum et post decessum Rotberti et Euerardi filiorum meorum hec omnia teneat predictus abba et successores illius in usus monasterii. Qua propter econtra in recompensatione tradidit michi abbas Odilo de ter sancti Petri et sancti Remagli de voluntate regis et ducis, presente advocato ipsius loci, in villa Hillei mansos XII cum ecclesia et molendino et familia L quorum hec sunt nomina : Irmingisus, Mernitisa cum filio, Teudradus, Maurus, Otgerus, Bercaudus, Hilhaudis, Reintrudis, Wamboldus, Griuo, Leutfridus, Melemian, Olsedus, Golberta, Grimblenga, Renheldis cum filia, Goduinus, Dedioldus, Dominica, Reginardus, Martinus, Hairulfus cum sorore, Harierus, Biero, Irmingardis, Gela, Abselan cum filia, Alda, Rotboldus, Oldradus, Sigibertus, Werinboldus, Warendrudis cum filia, Antherus, Theuardus, Oldrada, Erlenus, Gifelt, item Autferus, item Sigibertus, item Sigibertus. Hec omnia tradidit michi abbas cum consensu fratrum, ut ego et duo filii mei supra dicti, dum advixerimus in possessione teneamus et omni anno ad festum sancti Remacli cunctis diebus vite nostre ad altare ipsius tres sol. denariorum persolvere studeamus; quod si de ipso censu negligentes extiterimus, legibus emendare cogamur; et in potestate nostra non sit predictas res vendere vel dare nec minuere, sed post obitum nostrum cum omni melioratione et absque ullius contradictione in possessionem monasterii revertantur. Et ut hec precaria firma stabilisque permaneat, hanc cartulam fieri rogavimus et bonorum testium manibus roborari. Acta sunt hec in monasterio Stabulaus publice sub die VI non. mart., regnante domno glorioso rege Ottone anno XX, Cuonrado duce anno IIII.

Signum Odilonis abbatis qui hanc precariam auctoritate regis et ducis firmavit. Signum Albrici abbatis. S. Erenfridi advocati. S. Euerardi. S. Werinmundi. S. Willerici. S. Reginhardi. Ego Werinfridus cancellarius jubente domno abbate Odilone scripsi.